EPICEDION

IN OBITVM THEOLOGI CLARISSIMI, PIETATE, ERVDITIONE & *sacrarum literarum cognitione præstantissimi, Domini* THOMAE FELEGHAZII, *qui post felicem laborum suorum cursum peractum, feliciter in Domino, inter medias preces, magno cum suorum dolore quievit* DEBRECINI, *Anno ab incarnatione Christi salvatoris 1586. 16. die mensis Ianuarij, inter octavam & nonam vespertinam.*

SCRIPTVM A

STEPHANO FELEGHAZIO FRATRE,

in gratiam laudatissimorum & prudentissimorum Senatorum Debrecini collectorum.

Addita sunt Epitaphia quædam, tum à fratre mœstissimo, tum verò ab alijs quibusdam nationis Vngaricæ studiosis.

DAN: XII. V. II.

Intelligentes fulgebunt ut splendor firmamenti, & qui docuerunt multos tanquam stellæ in seculum & in æternum.

Distichon annum obitus exprimens.

VIVIte MortaLes pVrè, sanCtéqVe, pléqVe,
Cernere sI CVpItIs teCta saCrata benè.

VVITEBERGÆ
Typis Clementis Schleich, Anno
M. D. LXXXVII.

PRVDENTISSIMO, ET OB PIETATEM LAVDABILI DEBRECInensium Senatui S. & solatium Spiritus sancti. P.

MIrum sanè vobis videri posset, prudentissimi, & patres perpetua obseruantia colendiss. cur lugubre & funereum istud carmen, de morte Fratris charissimi, jejuno satis & exili stylo conscriptum, sub nomine vestro honestissimo, emiserim: verùm si rem justa, ut par est, lance perpenderitis, animadvertetis, me, non alienum ab officio meo fecisse. Licet enim jam sit tristissimus illius, ex hac valle malorum discessus, decantatus à doctiss. viris, Dn. Iohanne Iulano scholæ vestræ Rectore dignissimo, & Dn. Stephano Czorba, à me tamen gratitudo ipsa ceu debitum jure suo exposcit, ut meum ex obitu illius immaturo conceptum dolorem, carmine aliquo lugubri declarem, quod etiam feci. Hoc autem ob eam causam ornatiss. & prudentiss. viri, vobis dedicavi, ut pro vestris singularibus in me meritis aliquo argumento gratitudinem meam declarare possem. Etsi verò nihil voluptatis ex tristi illo carmine percipietis, tamen erit dignum & ab officio vestro non alienum ultimas ejus exequias & funebre meum carmen benigno vultu suscipere, Quod ut faciatis cum vestra singularis humanitas, tùm merita illius erga Ecclesiam amplissima, vos adhortabuntur. Feliciter valete in Domino.

Vester studio & officio

Stephanus Fel. Debr.

EPIGRAMMA IN EPICEDION STEPH. FEL.

11

CArmine lugubri dum defles funera fratris,
Quē rapuit nuper pestis acerba tibi.
Tristis es, ah nimium tua turbant corda dolores,
Et lacrymæ multæ mœsta per ora fluunt.
Tu facis officium, Stephane ô cultissime, justum,
Dum lacrymis fratris funera mœsta rigas.
Funera mœsta rigas, fraterno motus amore,
Natura hanc στοργήν fratribus ipsa dedit.
Attamen adde modū, lachrymisq́; imponito finē,
Corporis in lachrymas ne vigor omnis eat.
Nanq́; nocet nimius dolor, exiccatq́; medullas,
Causaq́; mortis atræ, nì minuatur, erit.
Nec deflere opus est fratrem, qui celsa petivit
Mente, licèt gelidum nunc tegat ossa solum.
Vrbs Debrecina piè deflevit funera fratris,
Funera perpetuo commemoranda die.
Ostenditq́; pii certissima signa doloris,
Extinctum quando contumulavit humo.

Vivere dum licuit docuit pia dogmata frater,
Muneris & solers ipse peregit opus.
Monstravit populo quæ sit via vera salutis,
Vtq; sibi possit conciliare Deum.
Eruditt cunctos summo parêre Tonanti,
Ipsius & sancto subdere colla jugo.
Quilibet & vitam sancta pietate decoram
Vt gerat, ut mores discat habere pios.
O tu dignus eras, dignus sanctissime THOMA
Vivere Nestoreos, secula longa, dies.
Sed semel omnib. est moriendũ: Regula firma est,
Nemo potest metam transiliisse datam.
Impius atq; pius posita hac sub lege tenentur,
Diversa verùm conditione cadunt.
Namq; pijs mors est ad vitam transitus illam,
Quæ manet, æterno, non peritura, die.
Si pietas, si sancta fides, si vita modesta,
Quem faciunt magnum, per celebremq; virũ.
Te magnũ faciunt cuncta hæc celeberrime vates,
Post cineresq; tuos cur celebreris, habes.
Felix qui potuit vitam traducere sanctam,
Et quem post obitum famaq; lausq; manet.

Johannes CZaholius.

EPICEDION.

ESt nihil humanis unq; durabile rebus,
Est nihil æternum perpetuumq; datum,
Omnia prætereunt celeri mortalia cursu,
Nil nisi bullatæ nos sumus humor aquæ.
Nonne vides viridi benè quàm rosa floreat horto,
Nonne vides violas? lilia nonne vides?
Quam citó purpureum deponant ista colorem
Nonne vides? celeri quàm fugiantq; gradu.
Forte tibi, tales cernenti lumine flores,
Apparent semper flore virere suo.
Falleris, hos tenuis nisi falx petat, ecce nitorem
Exuere ex omni parte videre potes.
Sic quóq; vita brevis variorum plena malorum
Exigua tantum falce petita, cadit.
O genus humanum, nimium variabile semper,
Quàm tua pernici labitur hora pede.
Nudus homo terras & cœli sydera cernis,
Cogeris hæc iterum linquere nudus homo.
Ergò quid exultas cum te fortuna beare
Incipit, & vitæ commoda pauca dare.

An datur humano generi fortuna perennis?
Nonne volubilibus præterit ista modis?
Ergô mortales nimium ne fidite vitæ,
Fallere, nanq; citò, cum volet, ipsa potest.
Imo piæ semper vos quærite gaudia vitæ
Si vultis Dominum cernere mente Deum.
Sed quid ego vitæ deploro damna fugacis?
Materies scripti non ea namq; mei est.
Sed tu tange tuum palmis Ecclesia pectus,
Et trepidas digitis percute quæso genas.
Abiice splendorem, pulchros quoq; solve capillos,
Est nam conveniens luctibus ille color.
Fletibus ora riga, suffundeq; lumina rore,
Triste, super, cineres, & modò, sparge, caput.
Aspice fata pium, rapuerunt invida THOMAM,
Aspice quanta tibi causa doloris adest.
Proh dolor hoc casu quis non frangatur acerbo,
E duris nisi sit cautibus ille satus.
Aut potius Geticis natus de tygride campis,
Saxea sintve ejus pectora, corve lapis.
Cum pater ægroto decumbit corpore charus,
Tota domus lacrymas nonne dat atq; preces?
Si caput insanos patiatur triste dolores,
Cætera membra sui signa doloris habent.

Si

Si facer Eoo Phœbus non surgat ab axe,
Nonne orbis moles obstupefacta jacet?
Si quoq; nauclerus rapida mergatur in unda,
Nonne dolent obitum cætera turba viri.
Si pia pestifero tollatur funere mater,
Filiolus lacrymas nonne dat ipse graves?
Sic igitur charam turbata Ecclesia matrem
Perdidit, & miserè nunc sine matre jacet.
Ergò suum meritò nunc defleat ipsa parentem,
Et maculet tristes imbre fluente genas.
Ipse per hunc rexit te Christus namq; ministrum,
Ille fuit capitis gemma decora tui.
Donec fata suæ ducebant stamina vitæ,
Nulla tibi sathanas damna nociva dabat.
Nunc afflicta jaces, & duro pondere pressa,
Vix potes ex imo ducere corde sonum.
Credo equidē quòd si prece nunc revocabilis esset,
Et possent istum fata referre virum.
Tu prece perpetua sæva de morte referres,
Is tibi quòd posset commoda plura dare.
Invida, sed tu scis, nulla prece fata moventur,
Nil curant gemitus, nil lacrymisq; valent.
Ergo suum terræ retinebunt viscera corpus,
Extremum donec cernet adesse diem.

Tunc

Tunc Deus, hunc tali compellans voce miniſtrum,
Ætherei pandet mœnia celſa poli.
Præco fidelis ades, fidei lucerna ſacratæ,
Huc ades, ecce tibi cœlica regna dabo.
Verè Eccleſiolæ tu firma columna ruentis
In terris poteras vivere donec, eras.
Corporis ergo tui labem maculasq́; repurgans,
Te faciam æterna proſperitate frui.
Nunc igitur terras linquens & munia vitæ,
Parte bona cœli mœnia clara tenet.
Ille obitu lacrymas, nobis gemitusq́; reliquit,
Orbati officio nam ſumus ecce viri.
Non prece nos poſthac, non ſcriptis, nonve labore,
Deniq́; non docta voce juvare poteſt.
Sæpius in dubiis ſua nos prudentia rebus
Iuvit, at officium non aget illa ſuum.
Sedulus officii perfecit munera juſti,
Æterni ſpargens dogmata pura Dei.
Quid loquar? ille fuit bonitas, & candor apertus,
Livor in illius pectore nullus erat.
Illi prima fuit Dominum cognoſcere cura,
Perpetuoq́; pias fundere corde preces.
Is caſtè in mundo vixit nimiumq́; beatè,
Exemplar cunctis nam fuit ille piis.

O igitur longa, frater digniſsime, vita,
Cur turbas obitu pectora noſtra tuo,
O ſi Parcarum crudelia ſtamina ſolvi
Poſſent, perpetuò vivere dignus eras.
Sed prece non poſſunt ſæviſsima fata moveri,
Munera non Parcas flectere magna queunt.
Ille igitur poſtquam fatalia ſtamina ſenſit.
Velle, fera, parcas cædere, falce, graves.
Contemnens, magno præduram pectore, mortem,
Hos Domino è ſancto tunc dedit ore ſonos:
Conditor omnipotens cœli, pater optime, nobis
Te precor auxilium præſidiumq́; feras.
Vt poſsim magno contemnere pectore mortem,
Vt placidè cœli tecta beata petam.
Magne Deus puro colui te ſemper amore,
Et ſparſi verbi dogmata pura tui.
Nunc mea continuis exhauſta laboribus, altam,
Membra petunt requiem, ſpiritus ipſe polum.
Ergo preces noſtras audi, pater optime, namque,
Diſſolvi pura nunc ego mente volo.
Tunc ergo horrendæ triſtis contagio febris
Illius è fragili corpore ſigna dedit.
Ergo petit pedibus lectum titubantibus ille,
Et iacet in triſti frigidus ecce toro.

Tunc mea prægrandes lacrymæ venêre per ora,
Namq; dabat tales ore patente sonos:
Frater amãde mihi, Dominũ cognoscere primùm
Conare, & sacris invigilare libris.
Sedulus officii facias quoq; munera justi,
Et Domino fundas noctè dieq; preces.
Vive piè donec tua solvant stamina Parcæ,
Vtilis in Domino sic labor esse potest.
Viribus exhaustis, tunc durus crescere morbus
Cæpit, & in fragili corpore pestis atrox.
Ergo Thesea junctum sibi mente ministrum
Tunc vocat, & tales huic dedit ore sonos:
Exhibui fidum, tibi, nosti, semper Achatem
Docte vir, æterno dans sacra thura Deo.
Sedulus officii feci quoque munera justi,
Extremum vitæ tempus ad usque meæ:
Ast modo me juvat in Christo deponere corpus,
Conspectuq; Dei colloquioq; frui.
Ergo ego te, summa pietate colende, GEORGI
Commendo æterno, qui regit astra, Deo.
Plura locuturo morbus gravis impedit ora,
Proh dolor, in tristi dum jacet ille toro.
Vir pius, ex imo ducens suspiria corde,
Et gemitus fundens pectore, mœstus ait:

Chare mihi THOMA, nimium dilecte synerge,
Tu mihi perpetuò fidus amicus eras.
Quattuor & per olympiadas collega fidelis
Tu fueras, spargens dogmata pura Dei.
Impediit nunquam nostram contentio mentem,
Sed fuimus nullis pectora læsa malis.
Si prece, si votis tu nunc revocabilis esses,
Si lacrymas sinerent fata valere meas.
Efficerem, (quoniam damnũ mihi triste relinquis)
Clauseris extremo si tua fata die.
Sed Deus omnipotens, immensi conditor orbis,
Te salvum nobis reddat & incolumem.
Sic ait? hunc variè torquet luis improbus horror,
Non sinit è tristi surgere jamq; toro.
Ora per astantum lacrymæ sonuêre piorum,
Crescit in exili corpore namq; lues.
Quid mea vos lacrymis turbatis pectora? dixit,
Dulce mori in Christo, credite, dulce mori.
Vos modò quos precibus juvi fidoq; labore,
Quos juvi docta voce, valete diu.
Ecce ego nunc cœli purissima mœnia sancti
Ingredior, Dominum cernoq; mente Deum.
Membra petent terram mea, sed de pulvere Chri(stus
Eriget extremo tempore judicii.

Vos ego tunc omnes, ô dulcia corda, reviſam,
Vobiſcum & cœli commoditate fruar.
Anxiùs indoluit circumſtans turba, gravesq́;
Effundens lacrymas, ſaucia membra petit.
Proh dolor, ah, fatis nihil obſtat, at omnia verſant,
Nil igitur gemitus, nil valuere preces.
Ergò fide extrema validè firmatus in hora,
Commendat Chriſto tunc animam ipſe ſuo.
Proh dolor ex omni ſonuerunt parte querelæ,
Proh dolor in lacrymas turba beata ruit.
Hîc matrona rigat lacrymoſis imbribus ora,
Maſculus hîc teneras impedit ipſe genas.
Ipſe etiam ex oculis lacrymarum flumina miſi,
Et gemitu petii pectora mœſta gravi.
Sed quid ego lacrymas, & inanes fundo querelas?
Non poſſunt iſtum fata referre virum.
Is nimium felix quem cœlica regna tulerunt,
In Chriſto dulce eſt viuere, dulce mori.
Ergo illi exequias tunc ſedula cura ſenatus
Fecit, & officium præſtitit omne viro.
Tu licet ergo ſis frater chariſsime vita
Privatus, gelido conditus atq́; ſolo.
Tu meliore tamen nunc vivis in æthere parte,
Et tenet alta tuus ſpiritus aſtra modò.

Et tua fama manet, frater chariſsime, donec
Aſpiciet geminas Phœbus in orbe plagas.
Et prius à Zephyro Titan ſe vertet ad Eurum,
Quàm tuus in terris diminuatur honos.
Molliter hoc placideq́; cubent tua membra cubili,
Extremus pandet dum tua buſta dies.
Tunc ſonitu Angelico Chriſtus loca cũcta replebit,
E tumulo & ſurgent mortua membra gravi.
Membra ſuæ parti jungentur & oſsibus oſſa,
Et pellem ſument corpora cuncta ſuam.
Spectandum Chriſtus tunc ſe prębebit in illo
Corpore, quod dederat virgo Maria ſibi.
Ipſe ſibi comites, λειτουργικὰ πνεύματα, junget
Quæ facient ſonitu ſurgere membra gravi.
Perueniet noſtras ſermo hic optatus ad aures:
SVRGITE, IVDICII IAM VENIT HORA MEI.
Tunc nos ſurgentes cœleſtia tecta petemus,
Carpemus vitæ & gaudia plena novæ.
Tunc ego te ſalvum, frater chariſsime, cernam,
Æterna in cœlo proſperitate frui.
Quin etiam patrem quem non in corpore novi,
Cum chara in ſummo matre videbo polo.
ERgo patris ſummi ſoboles dulciſsima, Chriſte,
Extra quem non eſt ſpes, via, vita, ſalus,

Nos oculis miſeros è cœlo cerne benignis,
Indiget auxilio nam tua turba tuo.
Protege nos, dextramq; tuam tu porrige nobis,
Impia ne miſeros perdere turba queat.
Præcones verbi ſanctos tu collige Chriſte,
Qui poſsint verbum ſpargere in orbe tuum.
Hos vero quos ex ſumma bonitate dediſti,
Protege, des illis tempora longa precor.
Serva FABRICIVM ſerva, pater optime, ſerva
GONCINVM, vitæ lumen in orbe piæ,
Et pietate gravem, cœleſti dogmaté clarum,
Serva, plenus is eſt cognitione tua.
Serva præſtantem, ſumma quoq; laudé verendum
PESTINVM, meritis, & pietate gravem.
Serva ſumme pater, magnos facit ille labores,
Spargendo verbi ſemina pura tui.
Tu reliquos etiam doctores protege Chriſte,
Vtiliter poſsint ut tua juſſa ſequi.
Serva Debrecium ſerva, pater alme, ſenatum,
Te colit ille piè, te colit ille benè.
Serva Pannoniæ proceres, noſtrosq; patronos,
Et longos illis des pater alme dies.
Mentibus in noſtris, poſthæc, ſacra dogmata firmes,
Nosq; tua miſeros cognitione bea.

Vt

Vt te venturum læti expectemus ad illud
Tempus, quo mundi machina tota ruet.
Nosq; beatorum cœleſtia tecta petemus,
Cernentes Dominum mente, oculisq; Deum.

EPITAPHIVM EIVSDEM.

HAc ſub mole PETRVS jacet, Hellopœus & ipſe,
Hic etiã STEPHANI Chryſopœi mẽbra quieſcũt,
Qui Dominum pura coluerunt mente potentem,
Quive ſuum populum ſcriptis, fidoq; labore
Iuverunt, donec potuerunt vivere, ſed nunc,
Proh dolor, illorum vita defuncta quieſcunt
Membra, ſed ipſa tamen fiet bona fama perennis.
His Deus adjunxit THOMAM, pietate colendum,
Proh dolor, hunc etiam potuit mors ipſa necare.
Quatuor hic per olympiadas cœleſtia ſparſit
Dogmata, cum magna auditorum fruge, reliquit
Quin Debrecinæ duo Teſtamenta coronæ
Plura relicturus, modo vitam fata dediſſent
Illi, ſed Deus hunc propter peccata piorum
Abſtulit, & celeri mors improba falce necavit.
Ille tamen vivit meliori nunc quoque parte,
Ipſa licet tellus ſit corporis illius urna,
Eriget extremo Deus hoc de pulvere terræ

Tempo-

Tempore, non etenim cœleſtem perdere vitam
Ille poteſt, Domino qui tempore ſerviit omni.
Ergo quieſce, Deo, benè ſic ſtatuente ſupremo,
Frater amande, tuos donec Deus adferat artus,
Membra ſuæ donec parti tua junget, & oſſa,
Addideritq; animam, quæ nunc cœleſtia tecta
Incolit ac veræ perſentit gaudia lucis.

ALIVD.

INſpicis hanc molem lapidum, nec tergis ocellos?
Pectus habes durum, duraq; corda geris.
Publica cur patriæ non defles damna? nec ullo
Proſequeris luctu? ſaxea corda geris. (eſcat,
Sta precor, hac ſub humo & quinã nunc diſce, qui
Nam poteris tantam nectere forte moram.
Hac requieſcit humo Debrecini paſtor ovilis,
Accipiens Domini læta βραβεῖα ſui.
Ille externarum, contemto munere, laudum,
Nocte dieq; ſacris invigilabat ovans.
Sed vitæ fragiles peragens feliciter umbras,
Nunc fruitur vera proſperitate polo.
Is nunc Ambroſia ſatur eſt, & nectare gaudet,
Lætaturq; ſacris ſemper adeſſe choris.
Hîc poſitus qui ſit jam ſcis, des oſcula buſto,
Sic poteris cœptam continuare viam.

DISTI-

DISTICHON IN TVMVLVM.

QVattuor hîc noſtri præſtantia lumina regni
Condita, perpetuò vivere digna, jacent.

ALIVD.

Materiem, meritò, miſero, moriendo, miniſtras
Mœroris magnam mundo, memorande miniſter.

ALIVD.

Hic ſacrata docens divini dogmata verbi,
Incidit in laqueos mors truculenta tuos.

ALIVD.

HAc ſub mole tuum jacet
Corpus, ſpiritus at gaudet in æthere,
Tu parto frueris bono;
Nos hîc anxietas & dolor impedit.
Tu nunc lætitiæ capis
Ad Chriſti penetrans gaudia, munera.
Nos hîc turba ſumus dolens,
Nos hic omne ſimul perferimus malum.
Tu nunc Ambroſia ſatur,
Tu nunc æthereum nectar habes polo.
Tu nunc Angelicis choris
Cum ſanctiſq; capis gaudia cœlitus.
Quid nos pectora tundimus?
Quid nos flere juvat? quid lacrymas dare?

Sed desiderium tui
Non hæc parta quies nos tua, concutit.
Tu Christi quoniam gregi,
Tu prodesse piis & poteras tuis.
Sed lugere nihil juvat,
Nil pectus manibus tundere saucium
Sic summus voluit Deus,
Æterni fuit hoc consilium patris.
Ergo Cygne decus sacri
Cœtus, Pannoniæ gloria, jam vale.

IN TVMVLVM CLARISSIMI THEOLOGI ET VITAE INCVLPATAE, IVdiciiq; exactissimi D. THOMAE FELEGIHAZII &c. IOANNES CZANADIVS reverentiæ & amoris ergò F.

THomas ille Dei Vates, fideiq; Sacerdos
Inclytus ecce jacet.
Et quam cura vigil, labor inviditq; quietem,
Mors dedit ipsa Viro,
O qualem Heroa, & quantis virtutibus auctum
Hæc brevis urna tegit.
O quanta hic fuerat doctrina, & acumine quanto,
Quàm pietate gravi,
Quàm bonus in sanctos fuerat, quàm durus in hostes
Maxime Christe, tuos.
Sparge rosas tumulo huic,& lilia sparge viator,
Hîc philomela cane.
Vt sic nemo queat sanctum turbare sepultum,
Huic grave sitq; nihil.

IN EXEQVIAS EIVSDEM.

CAndida, ceu tepidis, surgentia lilia, campis
Nulla ferunt longos in statione dies.
Sed dubiis omnes vicibus variata per horas
Instabili semper stantq; caduntq; modo.
Qui fuerat florens hodiè flos, sæpè caducus,
Exuit ornatum sole cadente suum.
Sic quoque res hominum, variis agitata procellis,
Incertas semper fertq; refertq; vices.
Sic etiam, Thomas, docta pietate, celebris
Occidit Vngarici luxq; decusq; soli.
Hujus erat pietas partes spectata per omnes,
Hujus & illustres pectus habebat opes.
O lacrymosa dies fletu testanda perenni
Quæ tàm præclarum sustulit hora virum.
Ergo prius pisces undas, sua tecta, relinquent,
Ante etiam corvus desinet esse niger.

Debita quàm veſtris moriatur gratia factis,
Hoc quoque præſtantis muneris inſtar erit.

Michaël Cibradi.

Τοῦ αὐτοῦ ἐπὶ τῷ τάφῳ.

Τοὔνομ' ἔλω θωμᾶς, γένῳ οὐγγαρὸς, ἀμνοκόπῳ δὲ
κλῆρον, τλὼ πίσιν χρισιανός τε φρενεὶ.
φῶς σκοτίῃσι πορὼν πλωχοῖς βίον ἔλλιπε καμνὼν,
νῦν χρισῷ, γλυπτὴ γράμματα, σῶμα τάφῳ.

EIVSDEM LATINE.

NOmine qui Thomas, gente Vngarus, officioq́;
Paſtor Chriſte tuus, mente fideq́; bonus.
Luce levat tenebras, miſeros ope, morte relicta eſt,
Mens Chriſto, patriæ ſcriptaq́;, corpus humo.

ALIVD EIVSDEM.

CLaro qui proprio Thomas de nomine dictus,
Pannon gente fuit, præco fidelis erat.
Chriſtum nam docuit toto de pectore, lingvâ
Tradidit ac populo dogmata pura Dei.
Sedulus in ſtudiis divinis, Papicolarum
Exploſit Chriſto, ſchiſmata falſa duce.
Fama ſonat cujus laudes, libriq́; loquuntur,
Nunc quoq́; & in ſcriptis conſpiciendus adeſt.
Rara cohors igitur ſi plauditis ergo Suitæ,
Extinctum Thomam morte Feligha ſium.
Falleris egregiè, vitæ nam fama ſuperſtes
Integræ vivet, ſcriptaq́; docta manent.

Et mens

Et mens in Chriſto ſuper æthera vecta refulget,
Et cum cœlicolis, gaudia vera capit.
Sicq́; levans tenebras, inopes ope, morte ſoluti
Corpus humo tegitur, ſcripta diſerta ſonant.
Sint, ô ſint plures fidei qui dogmata pangant
Præſint & populo, munere, ritè Dei.
Sicut & hic verbo docuit, ſcriptoq́; docebit,
Fac doceant ſemper, Chriſte benigne pios.

ALIVD.

INclyta Lutherum magnum, doctumq́; Philippum
Clara duo mundi, Germania, lumina, quod ſi
Carminibus deflet, ſortem Bojhemica tellus
Huſſum: Qualibet & regio benefacta ſuorum
Doctorum celebrat, laudesq́; ad ſydera tollit,
In præceptores cupiens mente eſſe benignâ.
Vngariæ cur non celebret plebs orba Miniſtris,
Et ſtudioſa cohors, Doctores atq́; Magiſtros?
Ex quibus inſignem nuper virtute, valentem
Arte Feleghaſium Thomam mors ſuſtulit orbe
Proh dolor? atra viris multis inviſaq́; doctis,
Vivere qui longos fuerat digniſſimus annos,
Præſtans ingenio, doctrinâ, mente ſagaci,
Hæreſeon maſtyx ac puræ relligionis
Solers cultor erat, veluti pia ſigna laboris
Aſſidui monſtrant animi monumenta ſuperſunt.
Quare chara tuum meritò fles patria Vatem
Quem tulit aſſiduo mors importuna labore

Et quo-

Et quoties ſubeunt animum pia dicta tenacem
Laudes funde Deo ſemper Chriſtumq; precare
Turba Sophiſtarum ne turbet imagine falsâ
Fundamenta quibus ſtructa eſt Eccleſia Chriſti,
Sed potius maneat pax & doctrina ſalutis
Inuiolata diu: Sic tandem vivite Chriſto,
Vivere nam Chriſto, vera eſt via, vita, ſalusq;,
Felix qui potuit fallacem temnere mundum.
Vt vos ambiguæ poſt tædia longa viarum
Vitæ, præclarum poſitis tendere curſum
In cœlum, vitam veram ſedemq; beatam,
Nosq; iter ad CHRISTVM per idem veniemus IESVM.
Intered DEVS omnipotens ſic vivere nobis
Da, lethoq; ſuos conſtanter pergere curſûs.
Et quos in ſimili IESV ſtatione locaſti,
Vt vulgent populo myſteria ſacra tenello,
Et paſcant Domini cœtum de monte Sionis,
Vngaricis vivant æternum finibus, & ſic
Perpetuus verbo ſit honos, Eccleſia creſcat.

Balthaſar P. Miskolcinus.

EPITAPHIVM.

PAllida ſub ſtygiis, mors enutrita, cavernis,
Quæ dare contendis corpora tanta neci,
Quid? quòd nulla tuum pietas, non gloria rerum,
Inclyta non virtus, flectere poſsit iter?
Sed doctos, pariterq; rudes, humilesq;, ſuperbos,
In nihilum redigas, ſub cineresq; feras.
Quandoquidem à jaculis aliquem crudelibus unquam
Ingenium poſſet ſi retinere, tuis,

THO-

THOMAE non ullo poteras corrumpere tabo
Corpora, ſub leges ſive tuliſſe tuas.
Quem nos nunc mœſtis oculis deflemus ademtum,
Et mœſtos, multo ſpargimus imbre, rogos.
Scilicet, hic ſacri potuit myſteria verbi
Pandere, divino, voce ſonante, modo.
Mundanis opibus, vanis ſucceſsibus atque,
Dum vigilant alii, divitiisq; ſtudent.
Hic ſacrata docet divini dogmata verbi,
Muneribus plenus, ſpiritus alme, tuis.
Qui quamvis vitæ fragiles exegerit umbras,
Et ſterilis cineres hæc tegat urna viri.
Semper adeſt tamen his terris, mundi hocq; theatro,
Namque poteſt nullo tempore fama mori.

Iohannes Tharaczk Debrecinus.

ALIVD.

QVas triſtes lacrymas, quæ nunc lamentaq; fundam,
Nam rara THOMAS vir pietate jacet.
Longævi fuerat dignus qui temporis uſu,
Huic modò parſiſſet, Parca ſevera, viro
Nam typus ille ſuâ fuerat pietate piorum,
Ac ſibi commiſſo ſedulus officio.
Ille ſacros mentis penetrabat acumine libros,
Scripturæ cunctas ille tenebat opes.
Facundo quoties populum ſermone docebat,
Verba ejus largi fluminis inſtar erant.
Ac facili methodo norat diſſolvere nodos
Quos agitat ſenſu, turba profana malo.
Quamq; opibus patrium largis ditaverit orbem,
Quas pia ſtillarunt dulcibus ora favis.

Com-

Comperies magno quòd ſi ſacra ſcripta labore
Legeris, aſſidua volveris atq; manu.
Cujus ſi cunctas coner connectere dotes,
Cynthius Heſperias ante ſubiret aquas.
Ergò jaces Heros cæleſtibus addite ſeclis,
O patrii columen, gloria lausq; ſoli.
Te vivo fuerat fortunatiſſima terra
Pannona, nunc ſqualet, te moriente, ſitu.
Pannona florebat te vivo Eccleſia Chriſti
Nunc eadem mœret te ſpoliata duce.
Sed quia ſic ſanxit divina potentia, nulli
Quòd finem vitæ tranſiliiſſe datur.
Iam donis animam cœli felicibus exple,
Officii poſcit ſic pia ſparta tui,
Thymbra tuos ſpargat cineres, ac Lotos opacet,
Humectet gelidos Roſmaris atq; rogos.
Interea à ſero ſemper memoraberis ævo,
Ac tua perpetuò fama perennis erit.

Alexander R. Szamoskozi.